

Marci fano, quod hujusmodi materia esset magna parte constructum, profanæ manus parsuræ viderentur, metuerentque loci everfionem Stauracius monachus & Theodorus presbyter, ambo natione Græci, qui non solum illic sacris operabantur, sed quasi Æditui sacrarium ipsum officiose asservabant; Bonus Medoacensis, & Rusticus Torcellanus, ventorum vi contra publicum edictum cum decem navibus Alexandriam delati opportune interveniunt. Hi religionis causa, quum ad locum venissent, essentque ab illis tristitiæ, quam præ se ferebant, causam sciscitanti, quum cognovissent rem ad demolitionem templi spectare, magnis pollicitationibus eos tentare cœperunt, affirmantes fore, ut si Divi Marci corpus sibi traderent, amplissimi deinde honores utrunque apud Venetos manerent. Averfari illi primo consilium, quasi pro sacrilegio habentes sua sede sanctissimum corpus amovere: sed divina est providentia factum, quod dum forte de ea re loquerentur, quidam ex iis, quibus conquirendorum lapidum negocium fuerat a Rege datum, eo venerit, atque aliquot inde lapides ad structuram inchoati operis idoneos non sine templi deformatione asportarit. Quo indigno spectaculo commoti Æditui, Venetis ob id ipsum tum magis instantibus: quum omnino appareret ædem ipsam, quoniam ferme tota nobiliore constaret materia, non multo post magna ex parte dirutum iri, annuere cœperunt: & ne incolæ, qui non parva veneratione Divi nomen cum ipso sacrario, ob eximia quæ in eo facta fuerant miracula, colebant, rem subito deprehenderent, dissecto occultiore parte pallio, quo corpus ipsum erat obvolutum, intactis sigillis quibus illud antica parte erat munitum, Divæ Claudiæ aliud, pro eo quod acceperant, includunt. Ferunt, interim tantam odoris fragrantiam ex ipsa æde manasse, ut factus sit ad locum concursus ingens, potueritque res facile deprehendi, nisi pallium immotis signis fuisset conspectum. Et quia satis constabat, sublatum corpus ad naves sine periculo deferri non posse, rem novam ad vulgus eludendum commenti dicuntur: quod vix hujus rei scripto-